

clandestine fœdus percussisse, atque inter se comparasse, 1440  
ut uno tempore ipse in Picœnum agrum cum iis copiis  
quas habebat, Picininus, trajecto Pado, in Hetruriam du-  
ceret: hic ad Florentinorum opes, ille ad Sforciaë princi-  
patum evertendum. Quod vix prius credi potuit, quam  
repente allatum est, Picininum circa Februarias idus ex  
hybernis digressum, Pado copias trajecisse. Tum Sforcia  
ea re commotus, Venetias se contulit, ut de ratione bel-  
li cum Patribus coram loqueretur: vehementer vereba-  
tur, ne subita vi aliqua Picœnum agrum omni præsidio  
nudatum Vitelius adoriretur. Ad Pontificem igitur, eo  
petente, Veneti miserunt, qui cum illo egere, ut quæ  
de Picœni principatu Sforciaë concessa essent, illi inviola-  
ta manerent. Florentinos quoque hortantur, ut arma stu-  
dio compararent, ac non solum suis finibus commu-  
nem hostem arcerent, sed darent etiam operam, si  
fieri posset, ne in Sforciaë opes aliquo modo impetum  
faceret. Multi interim varique fuerunt ejus in Flami-  
nia conatus, quos Sigismundus Ariminensium Princeps  
cum Malatesta fratre (qui ad Thenium captus, cum  
Carolo Gonzaga fuerat permutatus) fortiter sustinuit,  
peditibus mille a Veneto, totidemque a Tusco acceptis:  
& ex Picœno Sforcianæ equitum alæ in auxilium advola-  
vere. Omissa igitur Mugellana oppugnatione, ad quam  
obeundam Guidonem Faventinum reliquit, Apenninum su-  
perare hostis est adortus. Interea Malatestæ fratres ad ho-  
stes defecere. Picininus nonnulla in Apennini collibus op-  
pida vi cepit, captaque diripuit. Speraverat Philippus ea  
expeditione Sforciam omnino a rebus Galliaë aversum iri,  
ut res suas & vicinorum tueretur; alebatque tum maxime  
eam spem, quum repente nunciatum est, Joannem Vite-  
lium Pontificis jussu ab Antonio Rido Patavino, Hadria-  
næ molis præfecto, captum. Quo nuncio apparuit, pri-  
mo Picininum præcipua spe gerendæ rei dejectum in Gal-  
liam abiturum. Verum ille non modo non cessit, sed ali-  
quanto etiam ferocius quam antea, Malatesta cum Guido-  
ne & Asture Faventinis accersito, per altiora Apennini  
juga,

*Picininus  
in Hetru-  
riam adver-  
sus Floren-  
tinos mo-  
vit.*